



Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac Ex Probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniae Agrippinae, 1713

Q. 199. An per indulgentias plenarias, quæ ordinariè vel in Jubilæo conceduntur, remittantur absolutè omnes pœnæ temporales peccatis remissis debitæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42624

esse novâ concessione , sed *Castrop.* & *Quintanadv.* dub. 18. dicunt illud Papæ & Sedis apostolicæ beneplacitum non extendere se ultra annum S.

§. 8. Post absolutum Romæ annum S. solet 1405
Papa concedere Jubilæum etiam pro aliis Provinciis extra Italiam , si Episcopi vel Nuntii Apostolici requirant : & exemplaria refert *Gob.*
De Jub. n. 412. Possuntque hoc in partibus iterum lucrari , qui Romæ lucratii sunt , Belleg.
f. 5. q. 7.

Q. 199. *An per indulgentias plenarias, quæ ordinariè vel in Jubilæo conceduntur, remittantur absolutè omnes pœnæ temporales peccatis remissis debitis.* R. Negant *Caj.* & alii , quia usus Indulgentiarum maximè introductus est propter gravissimas poenitentias peccatis injunctas juxta canones , & loco talis poenitentiæ implendæ conceditur Indulgentia , ergo per Indulgentias non remittuntur nisi pœnæ talibus poenitentiis canonum respondentes. E contrà *Suar. Amicus* tom. 8. d. 20. f. 3. *Viva* q. 5. a. 1. dicunt Indulgentias etiam extendi ad alias pœnas fortè restantes , quamvis poenitentiis injunctis non respondeant , Papa enim potest etiam has remittere , ergo quando in concessione non limitat , censendus est velle , ut remittantur , *Lugo* d. 27. à n. 8. probabilius distinguit , & affirmatum remitti tantum pœnam poenitentiis injunctis correspondentem , quando in concessione additur , *Ex poenitentiis injunctis, tum enim mens Papæ videtur restringi.* Si autem hoc non addatur , censet remitti omnes pœnas , cùm enim Papa non restringat , non est , cur nos restringamus. Ut tamen omnes planè pœnæ remit-

mittantur, ~~necess~~esse est, imprimis non retineri affectum ad ullum veniale, nam poena non dimittitur, nisi dimissā culpā: dein de debent plenē fieri omnia opera præscripta.

1407 Q. 200. *Quid præterea sit notandum circa requisita pro lucrando indulgentiis vel Jubilæo.* seqq. §. 1. Ad indulgentias ordinarias requiriatur confessio, Communio & oratio. Ad Jubilæum præter ista requiritur jejunium, processio aut visitatio templorum & eleemosina, de quibus omnibus postea ordine aliquid addam. Nec Ordinarii possunt plura vel alia requirere, quam requirat Papa, *Belleg.* p. 3. f. 2. q. 10. Inchoari tamen non potest executio operum, nisi post designationem temporis ab Ordinariis locorum faciendam. *Viva* q. 8. a. 2. Et perinde est, quo ordine præstentur ea opera: possuntque præstari extra locum promulgati Jubilæi, dummodo templo designata visitentur, uti dicetur à n. 1434. Estque probabilius cum S. Th. *Suar.* *Fill.* *Boss.* *Viva* q. 5. a. 5. melius dispositum aut intensius præstantem opera non ideo accipere majorem fructum, hic enim non respondet dispositioni nostræ sed voluntati concedentis.

1408 §. 2. Si quid modicum negligatur ex operibus præscriptis, docent Busenb. *Dian.* p. 5. t. 5. R. 7. dari parvitatem materiæ, quæ non impedit effectum indulgentiæ: putat tamen *Belleg.* p. 1. f. 3. q. 6. si ex 5. Pater orandi omitteretur unum, fore partem notabilem: Idem dicit *Viva* q. 8. a. 5. si ex 30. visitationibus ecclesiaruin, quæ fieri debent in anno S., omitteretur una.

1409 §. 3. Putant Henr. *Sanctar.* *Sanch.* *Lugo.* *Viva* a. 2. & alii omnia opera fieri debere in una septimana, sed *Nav.* *Bonac.* *Laym.* *Præpos.* *Dian.* *Castr op.*